



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Spongia Contradictionum Sive Genuinus sensus eorum locorum**

**Lindeborn, Jan**


**Antverpiæ, 1667**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49090)



Th. 2867.

J VI  
29.



~~Handwritten scribbles, possibly a signature or name, consisting of two lines of dense, dark ink marks.~~

SPONGIA  
CONTRADI-  
CTIONUM,

*Sive*

Genuinus sensus eorum  
locorum quæ in *Scalâ Jacob Vir-*  
*ginibus* (unito-belgicis) Deo cum propo-  
sito perpetuæ continentiæ in seculo famulanti-  
bus applicatâ quorundam obloquiis oc-  
casionem suppeditarunt.

*Authore*

R. D. JOANNE LINDEBORN,  
S. Theolog. Baccal. Form.



ANTVERPIÆ,

Prostant apud JOACHIMUM à METELEN,  
Anno M. DC. LXVII.

C E N S U R A.

*Spongiam* R. D. Joannis Lindebornii, quâ *sinistras* quorundam *interpretationes* sanæ doctrinæ humoribus diluit, ex commissione Illust: Domini Joannis Episcopi Castoriensis Vicarii Apostolici *relegi & prælo dignam* censeo.

An. 1667. in Festo  
S. Marcellini.

JOANNES ADRIANI P.  
S. T. Licentiatus.



## PRÆLOQUIUM.



Atale videtur,  
ut, quisquis exor-  
nandæ atque erudi-  
endæ *Virginitati* ca-  
lamum admoverit,  
æmulorum is sese  
obloquiis exponat,  
quasi hæc sola nunc  
debeat esse iuculta

ac inhonora cujus decori atque laudi totius  
Antiquitatis studium insudavit : vix ante  
septennium *R. P. Hermannii Busenbaumij*  
è Societate Jesu *Lilium inter Spinæ* efflo-  
ruerat, quin acres earum puncturas mox  
senserit, nec omnibus *Lilij* odor æquè ac  
*Casuum Medulla* gratus extitit. *Leonardus*  
*Lessius* inter Theologiæ Optimates numen  
celeberrimum, dum Familiam Virginalem  
illustrat, ad declinandam facti invidiam a-  
lienam personam iuduit, & sub umbrâ *Leo-*



## PRÆLOQUIUM.

*nis Hubertini* latitare maluit ignotus quàm Adversariis proscindendum nomen suum palam prostituere. Etiam *D. Hieronymus*, licèt inter veteres Ecclesiæ Proceres, eosin- quam qui in Virginitatis Encomio & Disciplina vi summa ingenii quasi de palma certarunt, primas gloriosâ victoriâ tulerit, ab obtrectatorum calumniis haud quaquam fuit immunis: lege inter alias *Epistolam* 7. quæ est *ad Demetriadem* & 50. quæ est apologetica *ad Pammachium*, & Virgineæ continentię patrociniū ac magisterium ei inimicitias atque obloquia peperisse invenies.

Neque benignius actum nobiscum postquam anno superiori Tractatum de Virginalis Instituti naturâ & officiis publicavimus: quod Opus licèt quàm plurimis acceptum fuerit præcipuè autem Virginum *Josephis*, non defuere tamen sed responso indigni qui lingua & prælo contumelioso laboribus nostris obstreperent, quique *reformatorias Antitheses* etiamnum minentur, sed quæ hæctenus (licèt in Januario *pro-pedem* promissæ) aut cum prælo aut cum veritate luctantur.

Ut autem pateat non propugnandæ Veritatis amorem (quam nusquam læsimus) sed contradictionis affectum armare calamos

## PRÆLOQUIUM.

mos & linguas adversarias, brevi hoc Commentario ad importunam quorundam instantiam placuit illustrare ea loca, quæ aut perperam intellecta aut à nobis non satis explicata sequiori iudicio, non nostro sed alieno vitio, occasionem suppeditarunt, & insimul ostendere in omnibus prope, quæ iniquâ censurâ Religiosorum gloriæ detractoria ab aliquibus judicantur, eos ipsos aut nos habuisse Duces aut habere suffragatores.

Hæc præmisisse ac cum *D. Hieronymo* præcit: *Epistola 50. ad Pammachium*, quæ est pro *Libris Virgineis adversus Jovinianum* apologetica, Lectorem admonuisse sufficiat: *Quando aliquid tibi asperum videtur in nostro Opusculo, non ad mea verba respicias, sed ad scripturam, unde mea tracta sunt verba.* Vix enim nisi alienâ linguâ locuti sumus, nec egimus industrium novitatis Magistrum, sed fidum *Antiquitatis* Notarium & docilem *Illmi. Rovenij Vicarij* nostri *Apostolici* ac Religiosorum Discipulum.

Sin autem alicubi à vulgata eorum opinione videar dissentaneus, nullum illud piaculum existimo: cum enim Theologica schola tanto sententiarum dissidio laboret,

PRÆLOQUIUM.

ut quod *Scotista* affirmat *Thomista* ut plurimum neget, nec alterutri passim cum suis adhæreat *Suarez* aut *Vasquez*, ac hi ipsi inter se summa contentione digladiantur, iniquum sanè, inter omnes illas controversias, in quibus sæpe cum aliorum periculo disputatur, ea sola, quæ *Monachismum* concernunt, tantum evidentix ac certitudinis sibi arrogare gradum, ut, quisquis in omnibus non subscripserit Religiosorum placitis, mox eorum iudicio habeatur de hæresi, errore, aut odio suspectus & infamis: sanè ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat. Habet  
*Epist. 77.* alicubi Mellifluus *Bernardus*. Quicquid sit de tricus aliorum ego scripta mea *Ecclesie* (quæ est Veritatis Magistra) & omnium melius sentientium iudicio ac correctioni humilimè subjicio.

SPON-

# S P O N G I A CONTRADICTIONUM.

C. 1. §. 2. pag. 8.



**D**E O gratius est magisque apud eum meritorium, præsertim in Uniti nostri Belgij Provinciis, ad earum Virginum exemplar, quas circumduxisse Apostolos meminit Scriptura, in seculo <sup>1</sup> Cor. 9: famulari Altissimo; & Sacer- <sup>5.</sup> dotum, Amicorum ac Proximorum necessitatibus sua opera, instructionibus vel subsidiis succurrere, quàm alibi in Partbenæis delitescere.

Quod nemo negarit, nisi qui ignorat utilem, quam laboranti Ecclesiæ navant, operam sive in catechizandis rudibus, in pueritia & juventute ad pietatem formanda, in solatio & ministerio infirmorum, in fovendis pauperibus, in Ecclesiæ & Altaris non quidem sacro sed ancillari servitio & cura, in hospitio Sacerdotibus & Oratoriis suis Religionis exercitio concedendis: sive etiam in reducendis Hæreticis aut vacillantibus in fide conservandis: ut proinde non immeritò in ordinem venire possint ac debeant cum iis, quas sub hoc elogio commendat Apostolus, quòd <sup>Philip. 4:</sup> sibi suisque Adjutoribus in Evangelio collaborarint: <sup>2.</sup> non solum ob Religionis profectum, sed etiam ob offensam hæreseos, cujus *Edicta publica* non minus in

Virgines ac in ipsos Sacerdotes perverso zelo def-  
 viunt: Alsoo dagelijks meer ende meer wert be-  
 bonden (habet diploma quod An. 1649. emanavit)  
 dat de Vergaderinge oft t'samenboeginge van  
 sekerere soorte van ongehouwde Vrou-persoen  
 (die men Klopsusteren of Kloppeu noemt) de  
 gemeene ruste deser Landen seer schadelijk zyn/  
 ende dat by deselve veel Pausseliche Supersti-  
 tien ende leeringen / by de Placaten van ons en  
 van de Staten der Provincien / mitsgaders  
 oock by de keuren van sommige Steden in de-  
 selve verboden zynde / worden gepleegt ende ge-  
 oeffent / en dat daer dooz de jonge Jeugt en oock  
 wel bejaerde Luyden van den Wegh der waer-  
 heyt / op verkeerde ende tegen Godts Woort  
 strydende wegen werden verlept: Soo hebben  
 wy hoochnoodigh bebonden / alle soodanighe  
 vergaderingen ende bytweeninge van Klop-  
 pen binnen dese Vereenigde Nederlanden op  
 arbitrale correctie te verbieden: Gelyk wy wel  
 uytduckelick gebieden by desen / dat de voorsz.  
 Vrouwpersonen ofte Kloppeu / elck op haer ge-  
 boorte plaetse by haere Ouders ofte Vrienden/  
 indien sy daer by commoditeyt ofte gelegent-  
 heyt hebben / indien niet / by vreemde Luyden te  
 gaen / en blyben wonen binnen vier wecken  
 naer de Publicatie deses / ofte daer geen com-  
 moditeyt hebbende / datse niet meer als twee in  
 een Hups ofte Woonplaetse naer de voorsz. vier  
 wecken en sullen moghen wonen / op peyne  
 van vooz d'eerste daer aen volgende Maent te  
 verbeuren 50. guld. vooz de tweede maent 100.  
 guld.

Guld. ende booz de derde Maent ghelijcke 100. guld. ende daer en hoben daer ober arbitralick gecozrigeert. Verbiedende mede den booznoemden Klopsusteren ofte Kloppeu pemaent in de Pauselicke of Roomsche Religie te Catechiseren ofte onderwijfen / ofte pemaent (niet zijnde van de Roomsche gesintheit) in't stuck van sijn Religie te inquieteren ofte t'ontrusten / op peyne van daer ober arbitralicken gecozrigeert ende oock gemulcteert te worden naer gelegenhert vander saecten. Alia Decreta non addo cum eandem clementiam omnia & singula spirent.

Cum autem inter medias Hæreses & *Præparatos* Eccli. 51.  
*ad escam* semper & ad quosvis Sacerdotibus non pateat egressus aut accessus, neque ea sit spoliata ac quotidianis hostium vexis exposita Ecclesiæ opulentia, ut ad omnia & singula sua ministeria Mercenarios alat, certè gratius Sacrificium Deo censeri debebunt offerre, quæ Ecclesiæ ejusque Ministris unico charitatis intuitu vicariam operam impendunt, quàm si relictis animabus periclitantibus in Monasteria secedant immolaturæ in Choro *Sacrificium Laudis & Hostiam Vociferationis* : præsertim cum unicum Summi Ecclesiæ Præsulis & S. Congreg. *De propag. fide* votum sit, ut ad conservandas Ecclesiæ reliquias ejusque ruinas instaurandas omnem & omnes operam nostram pia miseratione atque industria conferamus.

Nonne videmus etiam *Religiosos* casta charitate flagrantés *Prima Sedis* autoritate à jucundissimis *Raphaëlis* amplexibus divelli, atque è vita umbratica & cellulariâ educi, ut nostratium spiritualibus necessitatibus

cessitatibus opitulentur? & Virgines, quæ eorum & aliorum conatus pio studio promovere satagunt, non minus ac illæ quarum in *Epistola ad Romanos* honorificè meminit Apostolus, minori Deum officio honorare minorique mercede vicissim ab eo honorandas profitebimur, quàm si in Monasteriorum latebras sese recepissent?

Non fidei aut veritati (ut iniquè fugillatur) derogatoria est hæc sententia, sed promotoria, neque vitæ Monasticæ impugnatoria, sed Monasticæ Cultibus omnino consentanea, cùm quotquot ex Regularibus Gregi Dominico nobiscum invigilant, licèt aliquot millia Virginum sub sua directione numerent novisque incrementis eum cœtum continuò augmentent, rarissimas tamen ad Gynæcæa ablegant.

Neque ablegandas censuit Illustrissimus *Rovenius* per Unitum Belgium Vicarius Apostolicus nobis per omnia consonus seu potius in hac veritate præambulus: „Esto, is inquit Reipub. Christ. L. I. c. 43. „n. 2. perfectius sit amplecti spiritualem vitam in „approbata aliqua Religione, non omnibus tamen „strictior illa Religiosarum in Monasterio degentium vita convenit nec ad eam aspirare possunt: & post assignata diversa obstacula ac remoras tandem concludens sententiam nostram ex præstructis à nobis rationibus astruit: „Utilius adhuc & deo gratius „(est hæc ejus Thesis) agent spiritualem vitam in seculo, præsertim in locis Hæreticis subjectis, ut suis „facultatibus juvent Sacerdotes illic laborantes, & „domos suas accommodent Divinis Ministeriis & „sacris conventibus in illis peragendis, præsertim si „non sine magna amicorum indignatione vel pericu-

„ lo amittendi bona temporalia ad Monasteria trans-  
„ ire possint, & interim permittantur in sua patria ea  
„ liberè administrare & divinis servitiis impendere:  
„ & ex alia parte non sit illis periculum deserendi pia  
„ castæ & piæ vitæ proposita ac reliquas virtutes ex-  
„ ercendi cum beneficentia erga pauperes, quos ad  
„ Religionis Catholicæ exercitia trahere suis medijs  
„ & autoritate possunt, nec non suum erga Religio-  
„ sum Statum affectum per liberalitatem erga religio-  
„ sas Congrégationes demonstrare.

*Ibidem.*

*Maximè cum ea (Parthenæa scil.) continentie nul-  
lum amplio rem valorem aut excellentiam suppeditent,  
sed solum majorem custodiam, quæ eorum prope prima  
scaturigo.*

„ Non enim circumstantia loci (Tract. de Bono  
Status Castit. in seculo c. 4. n. 27. observat *Leonar-  
dus Lessius* & in Encomio Virginitatis l. 1. c. 1. Bisco-  
„ pius) efficit meritum operis, sed ipsa operis excel-  
„ lentia & pia voluntas haberi potest etiam extra Mo-  
„ nasterium, dum Virgo proponit abstinere à nuptiis  
„ & suam Virginitatem Domino consecrare, ut Deo  
„ perfectius serviat, ut Christi consilijs obtemperet,  
„ ut dominum nostrum ejusque sanctissimam Ma-  
„ trem imitetur, ut omnes suas cogitationes & affe-  
„ ctus ad cœlestia & salutaria transferat: operis verò  
„ excellentia utrobique est æquabilis.

„ Non solum in Monasterio (n. 28.) sed etiam in  
„ seculo valde laudabile est cætera opera bona præ-  
„ stare, orationem, jejunium, eleemosynam corpo-  
„ ralem



„ ralem vel spiritualement, castigationem corporis, & ad  
 „ hæc voto se obstringere, cur non etiam abstinere à  
 „ nuptiis, servare castitatem, & voto se ad illam obli-  
 „ gare? Si alia opera non perdunt suam dignitatem  
 „ suumque pretium & meritum apud Deum ex eo  
 „ quod in mundo fiant, cur perdat Virginitas &  
 „ Cœlibatus? &c.

Nemo sanè cogat nos sentire alia de Cœnobiis,  
 quàm ipsi Cœnobia sentiunt, tradunt, propugnant.

*Ibid.*

*Non licita modò est vita vestra, sed & Castitatis  
 vos estis Filia primogeniæ, illæ inquam quas eidem  
 suscitare intendit Apostolus I Cor. 7.*

„ Ubi multis modis (in præcit. Tract. c. 1. n. 4.  
 „ commentatur *Leonardus Lessius*) statum cœlibem  
 „ & virginitatem in seculo ac in domo parentum  
 „ cultam & servatam valde commendat, *nondum e-*  
 „ *nim tunc erant Monasteria.* dico innuptis &c. omni-  
 „ bus hisce locis Apostolus commendat studium  
 „ castitatis & Virginitatis etiam in seculo & paren-  
 „ tum domo, quo modo tunc servabatur. Quæ ex eo  
 „ totidem verbis transcripsit *Heribertus Rosweidus*  
 „ Tract. de Statu Virg. c. 6.

*Quas laudat Virginum Sponsus Matth. 19: 12.*

„ Hic enim Dominus, loco cit. n. 2. ait *Lessius* &  
 „ ex eo *Rosweidus*, in genere loquitur de Cœlibatu  
 „ eumque commendat in seculo, cùm approbans sen-  
 „ tentiam Discipulorum, *qui non cogitabant de Mo-*  
 „ *nasterio vel Religione* ait: Non omnes capiunt ver-  
 „ bum istud &c. Itaque cùm Dominus non solùm  
 in

in genere hunc statum commendet, sed etiam in specie, nempe secundum eum modum quem apprehendebant Apostoli, & quo tunc poterat executioni mandari, manifestum est eum etiam in seculo laudabilem & Deo gratissimum esse.

*Quibusque instituendis Basilus, Gregorius Nazianzenus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & plerique alij Ecclesie Magistri suos calamos & industriam consecrarunt.*

Eorum autem scripta dirigi ad eas Virgines, quæ extra Monasteria & sui juris existentes Virginitatem colunt, vel ex eo manifestò constat, quòd illas moneant ut in publicum non nisi velatæ & honesto comitatu prodeant, ut ornamenta secularia non adhibeant, ut fucis & vanitate vestium abstineant, ut congressus secularium, nuptias & convivia devitent, ut eleemosynas largiantur, ut orphanos & afflictos solentur &c. quæ omnia ad eas, quæ sui juris sunt suæque bona retinent, pertinere manifestum est.

Sed stylum ad ea quæ objici possunt convertamus, ex quorum repulso illustrior evasura sit proposita veritas.

Si quis igitur PRIMO inficias ierit ejusdem esse profapiae veteres illas & nostras, quòd illas (alia disparitas assignari non potest) solemni ritu Episcopi initiarent & sacro velamine obtegerent, quo honore Virgines modernas non jam amplius dignatur Episcoporum Majestas.

Eam Oppositionem triplici responsione diluimus.

PRIMA est cæremoniam illam non essentialem, sed solùm accidentalem fuisse, quæ non mutat naturam Status Virginalis: non enim *quatuor Filie Phi-*

*Actor. 2 r:*  
8.

*lippi*

*lippi Evangelistæ Cæsariensis, Petronilla, Thecla, & alia Virginum primitiæ ullis ceremoniis leguntur initiatæ, at eas subsequenti temporum consuetudo invexit. Nam ut constaret omnibus quo in pretio virgineam castimoniam haberet Ecclesia Catholica, inde usus inolevit, ut qui sacris Altaribus Agnoque virgineo immolando Ministros crearent, iidem etiam solemniter ritum eas initiarent, quæ jugi immolatione corporis & animæ suæ hostiam Christo & continen-*

*Epist. ad Tharsens. filius impollutas & Pudicitia Sacerdotes Tertullianus L. de vera Virginit. nuncupavit.*

*L. de cultu Feminarum.*

Neque id quovis tempore fiebat, sed certis iisque solemnioribus & ab Ecclesia statutis diebus: extat Decretum *Pij I.* (quem An. 167. Gentilium furor martyrio coronavit) quo decernit, non nisi in *Epiphania, & in Sabbato Paschæ, & in Apostolorum Natalitiis* Virgines debere consecrari. Quod ad Episcopos per *Lucaniam c. 14.* renovat *Gelasius* Papa I. qui sub finem quinti seculi Ecclesiæ præerat: utriusque Decretum legitur in *Jure Canonico. Can. Virgines & Can. devotæ.*

*c. 12. 13. & 14. c. 12. & 13.*

SECUNDA est, non omnes solemniter Episcoporum benedictione consecratas, ut ex diversis summorum Pontificum rescriptis apparet, ex *S. Leone* Epistola 92. ad *Rusticum. Innocentio I.* Epist. 2. decret. ad *Victricium* & aliis: qui licet graviore pœnas decernant iis injungendas, quæ post sui consecrationem in vitium carnis prolabantur, quàm iis quæ sine illis ceremoniis Virginum cœtui sese aggregarant (nam præterquam quòd majore animi deliberatione fit illud quàm istud, nullus tergiversationi locus est, quin gra-

gravioſe ſcandalo violetur Votum ſolem-  
nibus in Ec-  
cleſia ceremoniis velut oneratum & ſub omnium or-  
dinum oculis olim ſanciri ſolitum, quàm privatim  
utcuſque conceptum) nullibi tamen haſce ex Vir-  
ginum albo expungunt aut non æquè ac illas pro ve-  
ris Virginibus agnoſcunt. Vide pro hac noſtra Re-  
ſponſione *Pamelium* in Epistolam 62. S. Cypriani &  
ex eo *Malderum* 2. 2. Tract. 10. c. 5. dub. 3. & ali-  
os: à Conciliis enim brevitatis cauſâ temperamus.

TERTIA denique eſt, quòd licet olim ſolis E-  
piſcopis propria fuerit Virginum inauguratio ſub  
quorum ut parentum præſidio tutelaque latitabant,  
eam tamen, quod diverſa Concilia innuunt & in Hi-  
ſtoria Monastica c. 12 atteltatur (*Middendorpius*) ſuc-  
ceſſu temporis cum aliis muniis episcopalibus v. g.  
veſtium ſacerdotalium benedictione, prædicatione  
Verbi Dei &c. ad inferioris ordinis Præſbyteros eo-  
rum conſenſu & authoritate eſſe tranſlatam.

Licet itaque Virgines noſtræ ſolemni illa ceremo-  
nia (quæ perpetua non fuit nec conſtans) ab Episco-  
pis continentia non autorentur, quod eis cum Mo-  
nialibus modò eſt commune, cum tamen idem vitæ  
genus excolant cum Antiquis, ex eodem divina v-  
ocationis ſemine progeneratæ ac ejuſdem eſſe ſtemmatis  
& familiae Virginalis, quâ Veteres illæ fuere illuſtres,  
meritò cenſeri debent: quod nemo ſine ſumma ea-  
rum injuria inficiabitur.

Sin autem SECUNDO quiſpiam objecerit pri-  
ſtinam illam continentia culturam aut Eccleſiæ juffu  
abrogatam ceſſaſſe, aut cultricibus omnibus in Mo-  
naſteria ſecedentibus jam ab aliquot ſeculis deſertam  
exaruiffe.

PRIMO

PRIMO hujus Oppositionis membro, cui non nemo *Lateranense Concilium* voluit suffragari, pro dissolutoria responsione negamus ullâ Ecclesiæ lege abrogatum Virginalè Institutum aut è *Lateranensi Concilio* quicquam in ejus præjudicium posse deprimi: non enim illud Virgines extinguit aut supprimit, sed noxiam Monachismi luxuriam præscindit: en ipsa *Concilii* verba: *ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmum prohibemus ne quis de cætero novam Religionem inveniat: sed quicumque voluerit ad Religionem converti unam de approbatis assumat.* Religionem in sensu *Concilii* nemo dixit Institutum Virginalè, cum trium Votorum ligamine suas cultrices nonquam obligarit: neque novum erat vitæ genus (quod excogitari prohibet *Concilium*) sed irrefragabili omnium præcedentium seculorum calculo & usu approbatum ac confirmatum. Non ergo in virginei status excidium illud adhibeatur quod Virginalè Remp. non oppugnat sed propugnat, cum vetera *Concilium* non annihilat sed inutili sæcunditate nova inhibeat progerminari.

Parti SECUNDÆ, licet studium Virginitatis in seculo subinde intepuisse & à vita monastica tanquam à majori lumine quodammodo obscuratum concedamus, negamus tamen illud aut emortuum penitus aut intra sola Monasteriorum septa sese recepisse, cum non primis solummodo sed & singulis posterioribus seculis diversæ Virgines vitæ sanctimoniâ emicuerint, seseque à primis illis & Majoribus suis non degeneres sanctissima conversatione probaverint: earum gesta, quamvis non omnium & quibus spongia necessaria

necessaria, peculiari Libro descripsit *Rosweidus*, & continuam per singula secula seriem in suo *Lilio* exhibet *Busenbaumius*, quam si luberet facile, post prævium tamen selectum, insigniter auctum iremus.

Verùm ubi Hæresi prævalente in primogenium Ecclesiæ statum nostra Ecclesia recidit, viditque Asceteria omnia expulsis inquilinis aut funditus excindi aut a *Semine Chanaan & non Juda* profanis usibus prostitui, singulari benedictione divina prior ille Virginitatis cultus summa fecunditate reffloruit, ut plures nunc numeret in seculo pudicitiaë sectatrices quàm olim in Parthenæis habuerit conclusas Moniales: & prope rariores maximo suo solatio ad nuptiales thalamos abducantur à procis, quàm è circumvicinis continentiaë Propugnaculis intimisque adytis extrahat *Hæresis & Venus*.

Si opponas TERTIO non fuisse illas *Seculares*, quod de nostratibus asserit Illustrissimus *Rovenius*, sed *Religiosas*, ideoque hæc & illas non esse homogeneas sed planè heterogeneas.

Argumentum hoc solvit distinctiva Responsio: si enim illas nomen mutuatas velit Objectio à *Religione* quatenus Dei cultum significat, asseremus & illas & nostras verè fuisse & esse *Religiosas*, sed non peculiari titulo, siquidem id eis commune fuit cum omnibus Fidelibus, qui sicut à *Fide Christi*, quam profitentur, *Christiani & Fideles*, ita & à cultu, quem Christus docuit & instituit, sive à *Religione Christiana Religiosi* nuncupantur, & quandoque à SS. PP. ii qui impensius rem Christianam promovebant *Religiosissimi & Religiosissima* inscribuntur.

Tom. 3.  
L. de Per-  
fect. sect. 3.  
& 4.  
Vide  
Espen-  
taum in  
Epist. 1.  
ad Timot.  
L. 1. Di-  
gressio-  
num. c. 17.

Sin autem à *Religione* quatenus juxta modernam phrasin trium votorum colligationem importat (quo sensu *Religiones omnes Religiones factitias* dixit Gerson) earum agnomen deducatur, sicut nostras cum Illustrissimo *Rovenio* *Seculares* seu *Licas* agnoscimus, quibus & *Diaconissas* quandoque *Reverendissimas* dictas, licet magno olim in Ecclesia apparatu consecratas, *Synodi Nicenæ Canon decimus nonus* annumerat; ita simul etiam negamus primores illas tametsi ab Episcopo velatas *Religiosas* existisse, cum ex vi inauguralis istius ritus nec ad proprietatis abrenuntiationem, sive, ut hodie quidam vocant, expropriationem, nec ad peculiarem obedientiam huic aut illi præstandam constringerentur, sed solummodo eas propria electio perennis continentiaë mancipia constitueret.

cap. 26.

Quin imò cum spurca quædam Vitulina subinde *Sanctimoniales* vulgò cenferi desiderarent, & extra Cænobia propria sibi receptacula & privata domicilia ædificarent *Innocentius II.* in Concilio Romæ habito eas eradicavit, sive, ut Concilii verbis utar, aboleri decrevit.

Tradunt quidem Veterum monumenta fuisse olim Virgines Religiosas sive Status Religiosi pro- lusiones quasdam in iis præcessisse, sed omnes Religiosas existisse etiam quotquot in Congregationibus simul victitabant nullibi asseverant, imò P. P. Instructiones (quod & supra monuimus) aperte contrarium innuunt atque supponunt: oderant illi secessum & separata loca, quæ, quò majori diffu- erent licentia, nonnullæ Virgines exambiebant, ideo- que ut plures in eandem Familiam coirent omni studio

studio procurabant; tum ut suæ conversationis testes haberent & revererentur, tum ut mutuis exemplis ad perfectionis exercitium piâ sese æmulatione provocarent: *Virgines sacræ*, statuit Concilium Carthag. III. *parentibus à quibus custodiebantur privatæ, Episcopi providentiæ vel eo absente Presbyteri in Monasterio Virginum vel gravioribus fœminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, nec passim vagantes Ecclesiæ lædant opinionem.* Eas autem quisquis hodierno loquendi more *Religiosas* dixerit, is aut in Patrum scriptis & Ecclesiastica Historia hospes est, aut quid sit de essentia *Status Religiosi* planè ignarus: nisi fortè ejus substantia olim solâ *Castitate* circumscripta veluti novo peculio *Obedientiâ* scilicet, & *Paupertate* temporis decursu fuerit locupletata.

Sed ne quempiam offendat quòd *Virgines nostrates* cum Illustrissimo *Rovenio Laicis* annumeremus, & ne quis inde conditionem earum deteriore suspicetur, sciendum eos omnes quotquot non sunt de *Hierarchia Ecclesiæ* etiam *Monachos* ut tales & quicquid uspiam fuit *Monialium secularibus* & *Laicis* sensum totius Antiquitatis accensuisse, nec Ecclesiasticos esse *Ordines Monachales* sed ex *D. Anselmo factitios*, & plebis Christianæ, ut etiam loquitur *Rovenius*, puriores portiones.

Quòd autem, ex *Parochiano Obediente* & *Rovenio* supra, nullis omnino gaudeant Ecclesiæ privilegiis & exemptionibus inde provenit, quòd Sponso suo conformes non immunitatibus sed humili obedientia aliisque virtutibus voluerint olim & etiamnum velint esse eximix: & dum sancta ambitione prærogativas



quærunt in cælis, importunis supplicationibus es noluerunt à Christi Vicario obtinere in terris.

*Ibid. pag. 12.*

*Dico Virginum Vitam non minus ac Matrimonialis & Religiosus verè & propriè in Ecclesia olim fuisse & etiamnum esse statum.*

Quæ Sententia non est in officina cerebri mei fabricata sed à diversis Societatis Jesu Scriptoribus mihi suggesta, qui hanc materiam perspicaci ingenio & maturo judicio ex professo pertractarunt, quos inter

HERIBERTUS ROSWEIDUS in Tractatu de Statu Virginum c. 4. 6. & 7.

LEO HUBERTINUS, qui ex Rosweidi Prologo & Bibliotheca Belgica Desselii est LEONARDUS LESSIUS, in Tractatu de Bono Status eorum qui vovent & colunt castitatem in seculo toto c. 8. ubi plurimis rationibus Sententiam nostram astruit nescius quo fundamento innitantur, qui eam in dubium revocant.

VALENTINUS BISSHOPIUS in Encomio Virginitatis p. 2. L. 2. c. 6. qui pag. 116. Dubitantes de hac veritate pronuntiat omni fundamento destitutos.

HERMANNUS BUSENBAUM in suo *Lilio inter Spinas* c. 4. 5. & 6. qui non solis rationibus hanc doctrinam illustrat, sed & diversorum Theologorum, qui eam veritatem tradiderunt, suffragiis suffulcit.

LUDOVICUS DE PONTE. Tom. 3. de Christiana Perfectione. Tract. 2. cap. 1. & *ibid.* c. 5. §. 1. & 2.

Neque solius *Societatis* est hæc Sententia, sed & FRANCISCI SILVII ac *Theologorum Duacensium* sic enim legeram in ejus Commentario 2. 2. q. 84. a. 4. Conc. 2. „ Per simplex Votum Castitatis homo aliqualiter constituitur in Statu eoque perfectionis, quia in perpetuum obligatur ad aliqua opera perfectionis nimirum Castitatis, atque ita habet aliquam immobilitatem sive stabilitatem ad bonum. Et si, prout omnino decet, ea Voti emissio fiat de autoritate sive consensu Episcopi tanquam Ordinarii, non abest etiam omnis solemnitas. Ita sentit Henricus Gandensis quodl. 12. q. 29. Ex his consequenter est dicendum, quòd, qui sic vovit, omnino censendus sit esse in Statu honorabili & propterea posse ac debere frui seu gaudere bonis sibi ea conditione legatis, quod tunc demum ea habeat quando fuerit in Statu honorabili: est enim in ea vitæ conditione quæ est honorabilior matrimonio secundum dicta q. 152. a. 4. habetque tantam stabilitatem ut non possit absque peccato aliud facere quàm promisit, nisi fortè cum eo fuerit legitimè dispensatum. *Atque ita resolutum fuit Duaci à Theologis Doctor. Ao. 1620. ac rursum ab aliis Ao. 1627.*

Hi Authores sunt &, quæ omnium fortior est, Veritas qui me in suam Sententiam compulerunt, cui renuntiabo lubens ubi me secutum constiterit cœcutientes aut potius erroneos Magistros: sicut enim ipsemet errare nolo sic nec alios in errorem inducere volo.

Sin autem mecum observes solos esse Neotericos, qui huic prætensæ veritati suo suffragio patrocinantur.

Sciendum veteres illos Virginum cultores virgineique Sponsi Paranympfos, licet nomine *Status*, quod est Scholæ inventum, rariùs utantur, dum tamen Virgini illicitum divortium ejusque incontinentiam *adulterinum amplexum* cum *D. Augufino* pronuntiant, ea, quæ ad *Status* essentiam Theologorum consensus requirit, in Virginali Instituto reperiri aut tacitè passim supposuisse aut evidenter declarare. Quisquis autem hîc nobis litem intentaverit, is otiosam de solo nomine quæstionem moverit, pro quo contra hosce *Nominales* digladiari non est operæ pretium.

*Ibid. pag. 13.*

*Quod fundamentum* (illicitam scilicet Virgini apostasiam) *tanquam indubitatum passim supponunt S.S. P.P. Virginum Nutritii, easque si à proposito deficiant, & ad nuptias vel illicitas carnis voluptates proruant, tanquam adulteras puniendas decernunt.*

Sic enim sonant eorum Sententiæ hîc & pag. 57. à nobis citatæ: neque ulli displiceat iste eorum rigor sed propudiosa Virginum levitas, à qua volvere Patres earum mentes deterrere, qui idcirco perfidum istud virginalis conjugii fœdus ignominiosi nominis (adulterii scilicet) insultatione proculcant mandantque pœna graviori mulctari libidinofam illam inconstantiam.

*Ibid. pag. 17.*

*Non enim solennia illa vota olim in Ecclesia usitata quibus hodie Religiosi utuntur, sed postmodum inducta*  
non

*non divino sed humano jure: non enim divinæ institutionis sed humanæ præque adinventionis est trium votorum coagulum.*

„ Nam cum Monachatus duobus modis spectari  
„ possit (Instaurationis antiqui Episcoporum Principatus L. 4. sect. 1. c. 1. notat *Nicolaus Le Maistre*  
Theologus Sorbonicus, quem, præter *Petrum Aurelium* de Hierarchia Ecclesiastica in Vindiciis adversus Spongiam Loemelii, *Gersonem*, *Gabrielem Biel* & alios, secuti sumus) „ primò considerando partes  
„ singulas, obedientiam puta, vel paupertatem, vel  
„ castitatem: secundò considerando totum ex trina  
„ illa virtutum professione constructum ac consarcinatum. Certè si partes Monachatus attendamus,  
„ è divina informatione & disciplina profluxisse dicendum est: quippe docuit Christus obediendum  
„ superioris imperio, abjiciendam opum curam,  
„ domandas animi cupiditates. At verò totum illud,  
„ quod confurgit ac formatur ex his tribus & commixtione illa seu conjugio paupertatis, obedientiæ,  
„ & castitatis, Christus non docuit nec singularem aliquam familiam constituit quæ trium illorum  
„ votorum observatione teneretur. Est ergo humani ingenii & voluntatis ista compago Monastica.  
Vide Authorem id multis & solidissimis rationibus astruentem, quibus convicti in ejus Sententiam accessimus.

*Ibid. pag. 18.*

*Nam cum alibi Adolescentes & alibi Virgines pudicitiae conservandæ causâ in unam familiam coirent, ut servaretur disciplina in valuit votum Obedientiæ: &*

B 4

ut

ut Congregationes huiusmodi subsisterent, ne bona allata quilibet pro suo libitu dissiparet aut ad consanguineos transferret, obtinuit Votum Paupertatis: præscriptum est autem votum Castitatis, ne inde ad nuptias evadarent & ut Deo per vim coactivam fideles servarentur.

Quæ omnia intelligenda sunt de Votis vocalibus sive de Professione publica Religiosorum, in quo sensu suffragatus hîc nobis ex ipsis Religiosis Hieronymus Platus de Bono Status Religiosi, qui ad eam quæst. eademne fuerit primis seculis religiosæ vitæ forma quæ nunc est, respondens ait: „ illud tantum interest, si quid interest, quòd non adhuc tanta inerat Monasticis hisce Votis auctoritas atque hæc quam nostri Theologi appellant solemnitas, quin etiam initio ne *expressè* quidem, ut similis vero est, ac *publicè* vota emittebantur, sed ea professio ex generali omnium sensu & consensu ita erat Religioso Statui annexa, ut, etiamsi voce nulla facta esset promissio, tamen intelligeretur simul cum Statu suscepta ejus professionis obligatio, hoc opinor modo, quo nunc castitatis Votum in sacris Ordinibus accipiendis includitur &c. Itaque hoc etiam tamdiu servatum est, quamdiu diu prisca illa pietas ac verecundia satis fuit ad homines in officio continendos, postea tamen commodius visum est *expressam* Castitatis promissionem exigere, idem est de reliquis. Videatur ipsemet Scriptor pag. 502. 503. & 504.

Quid hîc fidei & veritati derogatorium nisi perverso & temerario iudicio? quod in Religioso Catholicum est & verum, non potest nisi summa iniquitate in nobis esse hæresis aut error.

Certè

Certè etiam Illustrissimus *Rovenius* dum genesin Religiosorum considerat, Professionem, de qua agimus, tempore *D. Basilii* & aliorum P P. necdum in usu fuisse nobiscum deprehendit, tunc enim de Professione, qualis nunc fit, necdum constabat. Reip. *Christ. L. 1. c. 39. n. 8.* habent ejus Annotata.

*Suarezius* quoque (quem *Apollinem* & communem Orbis Magistrum inscribunt) hîc planè hæsitat, qui licet obligatoriam professionem ad hoc, ut quis Religiosus censeatur, etiam olim necessariam statuatur, non tamen ex P P. testimoniis satis colligi agnoscit, qualis fuerit illa obligatio vel promissio, quosve effectus habuerit, ideoque non satis etiam constare an loquantur de professione solenni, qualis est illa, quæ nunc regulariter fit. Quid ergo peccatum negando eandem hanc olim in usu fuisse, sed ejus locum præoccupasse induvias *Habitus Monastici*? non diffitemur Monachos, æquè ac Virgines, ad perseverantiam in arrepto proposito olim fuisse astrictos, at explicitam illam (ut vocant) paupertatis, obedientiæ & castitatis professionem non nisi ex rationibus à nobis allegatis decursu temporis invaluisse prætendimus: quisquis in re incertâ *Suarezio* certiora Oracula depromere valuerit, ei in opinionem nostram plenum dominium concedimus.

Si quis autem *Dionysii Areopagite* testimonia opponat, eum ad *Joannis Launoy* Parisiensis Theologi de Libris illi inscriptis *Judicium* (quod exstat inter ejus Opera de duobus *Dionysii Atheniensi* scilicet & Parisiensi A. 1660. Parisiis impressa) & ad rationes ex textu desumptas n. 4. & extrinsecus assumptas n. 5. quibus suppositum esse Scriptum

& seculi maturioris manifestò convincitur, ablegamus: cujus iudicio & nostrum sine ulla hæsitatione, quicquid alii persuadere conati fuerint, pondere veritatis oppressum sese succollat.

*Ibid.*

*Non est quod cum Monialibus ratione Professionis sue contra vos Virgines Religiosi insoleant, &c.*

Non hîc committo Statum Virginalem cum Statu Religioso, scio enim huic deberi primas, sed animus est ostendere non eos omnes, quotquot votis irretiantur quique (dum recreationis ergò vel mendicaturi in nostras Provincias frequentes excurrunt & oberrant) suis impropriis Virginum nostrarum piam tranquillitatem conturbant, habere privatum aliquod sanctitatis veluti peculium aut patrimonium, ad quod Virginibus nefas sit aspirare.

Iis sanè injurius est, quisquis eas tantùm pauculos fructus, se autem asseruerit cum fructibus arborem ipsam Deo consecrare, cum id non à solis Monachis sed & à Virginibus & Christianis omnibus requiratur, sine quo nomine Christiani meritò indigni censebantur: quid enim frequentius Præcones Verbi sanctioris Auditorum auribus insonant? quid majori studio eorum pectoribus conantur inferere, quàm illud Apostoli: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Ut iam non desideris hominum sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivant temperis.* Etenim nemo nostrum sibi vivit & nemo sibi moritur, sive enim vivimus Domino vivimus sive morimur Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive mori-

*1 Cor. 6.*

*19. & 20.*

*1 Pet. 4. 2.*

*Rom. 14.*

*7, 8, 9.*

morimur, Domini sumus: in hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum pleno jure dominetur. Quisquis autem hisce & aliis Apostolicis documentis non nisi à Religiosis præ-tenderit responderi, nonne is Virgines, nonne Christianos omnes sacrilegi furti insimulat? nonne is illos è Christi Familia proscriptos Dæmonis mancipia pronuntiat, siquidem nemo ipso Domino at-  
 testante *potest duobus Dominis servire.* Non erit igitur via ad Cælum, quod solis bonis & fidelibus servis patebit, nisi per Cœnobiorum portas: quod sicut nemo dixerit, ita neque statuendum à solis Religiosis fidele ministerium & integrum Deo deferri: neque diffitendum eadem religione quâ cum Monialibus tenentur Religiosi etiam Virgines obligatas ad sanctimoniam disciplinam, nec solas Virgines sed & omnes quotquot Christiana professione censentur, ut fusè docet *Alvarez de Paz inter Asceticos* Tom. 1. L. 3. p. 1. c. 3. Scriptores facile Princeps.

Etenim non sola Monastica aut Regularis sed Religio Christiana omnes cultores suos (ut de Bono Status Religiosi ex Script. & P.P. demonstrat *Hieronymus Platus*) summa necessitudine ad vitæ perfectionem compellit: Nec Monachis aut Monialibus sed Christianis omnibus est scriptum Evangelium, & cujus sanguis omnes abluit ejus quoque sermo omnes informavit.

„ Neque enim Christus (declamat Constantino-politanus Demosthenes) cum de his monita ederet legesque statueret, ita distinxit ut diceret: siquidem is, qui jurat, Monachus sit, à malo jusjurandum est, sin verò Monachus non fuerit

„ non



„ non jam à malo est, sed absolutè omnino dixit:  
 „ ego autem dico vobis ne juretis penitus, &c.  
 „ atque idem in cæteris mandatis suis maximis &  
 „ admirandis facit, &c. nec Monachi nec Secularis  
 „ nomen adjecit: *cæterum ista distinctio ex hominum*  
 „ *existimatione introducta est, sacra verò Litera nihil*  
 „ *horum penitus noverunt, sed omnes Monachorum*  
 „ *vita & instituto vivere volunt etiam si uxores*  
 „ *fuertint adjuncti.* Audi denique quid Paulus mo-  
 „ neat, quem cum nomino rursus Christum præ-  
 „ dico: hic itaque, cum scriberet uxoris homini-  
 „ bus filiosque nutrientibus, omnem ab illis mo-  
 „ nasticæ vitæ diligentiam requirit, &c. *Hoc planè*  
 „ *est quod evertit orbem universum, quod summa vitæ*  
 „ *bene agenda diligentia Monachis opus esse arbitra-*  
 „ *mur, cæteris negligenter vivere licere: non ita sanè,*  
 „ *non ita est, sed eadem ab omnibus Philosophiæ ratio*  
 „ *requiritur: atque id equidem vehementer affir-*  
 „ *maverim, imò verò non ego, sed ipse iudex*  
 „ *omnium Christus: vide ipsum sacrum Oratorem*  
 „ *etiam in Epistolam ad Hebræos, nobis fusissimos ejus*  
 „ *discursus describere non vacat.*

Hom. 7.

Dum ergo Virgines æquè ac Religiosos non pau-  
 culos solummodo fructus sed cum fructibus ipsam  
 animi sui ac pectoris arborem Deo consecrare, dum  
 eadem cum illis necessitate pietatis virtutumque cul-  
 tui obstrictas diximus in quo & fidei & veritati vel  
 minimum à nobis derogatum: nisi fortè cessaverit  
 Evangelium, aut *D. Chrysostomus* & alii PP. quos  
 supra recenset *Platus*, fuerint turpiter hallucinati,  
 qui etiam quoslibet *Seculares* in eandem classem ade-  
 gerunt.

Trium

Trium Votorum conjugium magnum esse ad perfectionem subsidium copiosique meriti generativum nusquam inficiamur, at si cum eis, *qui in se confidebant tanquam soli justis* quique *aspernabantur ceteros*, LUC. 18.9. assumatur in fastidium Virginalis Instituti ea quæ pag. 18. & 19. annotata sunt sine ulla Monastici Ordinis injuria reponimus: neque enim Statum Statui sed personas personis comparamus.

Si ergo hi Oblocutores Virginalem continentiam despiciant quod in approbata ab Ecclesia Religione votiva non sit: cum idem habeat objectum, & ex eodem fonte enascatur unde originem trahit religiosa Castitas, & totius Antiquitatis calculo approbatus sit Status Virginalis, ejusdem etiam cum ea conditionis & meriti illam esse oggerimus. An autem religiosa Castitas, quod ex Ecclesiæ statutis dirimat matrimonium, Virgineam superet quæ ex ejusdem Ecclesiæ Lege illud solummodo impedit, gravi aliqua authoritate determinatum non invenio: quicquid sit, quæ solemne castitatis votum canonizavit, eadem Ecclesia Votum simplex non anathematizat.

Neque fidei aut veritati in minimo derogatur, si eis, qui divitias non relinquunt sed commutant aut in Cœnobiis inveniunt, magnam paupertatis laudem non concedamus: neque falsò ominamur eos paupertatem suam odisse, qui, ut hilariores habeant datores, multis lamentis indigentiam suam norunt deplorare: talibus enim, ex judicio cujusdam Scriptoris Gallicani, *ea qua circumdati vivunt inopia miseria est non sanctitas, non virtus sed calamitas, non tranquillitas sed vexatio: nec dissonat Alvarezii Tom. 2. p. 2. l. 1. de Paz aculeata Invectiva in hos Pauperes quos inter* 6. 7.

Evan-

Evangelicos minimè agnoscit sed sordidis *Avaris* vult accenseri.

Cùm autem Orphanotrophia apud nos nulla sint, nisi ubi simul cum lacte Hæresis imbibatur, Xenodochia nisi cum repudio fidei Catholicæ indigos non excipiant: subsidia omnia (quibus pauperum miseriam solari voluit pia Majorum misericordia) iisdem subtrahantur ac denegentur nisi perfidia damnabili in Hæreseos amplexus prouant: certè nonne in leges charitatis meritò censendi impingere, quotquot sua mendicitate marsupia ditiorum exhauriunt & eleemosynas quasi præripiunt, quibus & pupilli & indigenæ pauperes necessariò forent sustentandi? quisquis illorum patrocina suscipit ad horum suspiria & clamorem aures suas obturet, viscera sua claudat ab eis necesse est.

Non nos hisce Mendicantibus injurii sumus, sed injurii sunt illi pauperibus nostris: *panem filiorum auferunt: rejiciunt Statuta Trid. Concil. quod ad inhibendas noxias divagationes summâ prudentiâ decrevit, ut in Monasteriis & Domibus tam virorum quàm mulierum bona immobilia possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur ac imposteriorum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari:* Pontificias inhibitiones (quibus hîc eis omnis interdicta mendicitas) contemnunt. Ut autem pateat misericordiæ sinus, quo Pauperes nostros fovere satagit *S. Congregatio de propag. Fide* non inconsultum arbitror hîc ejus ultimum *Decretum* describere, quod & ipsos Missionarios qui spiritualia feminant concernit, & *Alexander VII. 1 Octob. Ao. 1663.*

Sess. 25.  
c. 3.

N. benè.

AN. 1663. approbavit. Referente Eminentissimo Domino Cardinali Albitio. Eminentissimi Patres negotio propag. Fidei Præpositi considerantes Catholicos sub Provinciis unitis Belgii existentes maximis indigere præsiidiis, prorsusque iniquum esse ea, quæ ex pia Fidelium dispositione inibi relinquuntur, ubi maxima tum Catholicæ Religionis tum Operariorum in Vineâ Dei ibi laborantium tum demum ipsorum Catholicorum viget necessitas, quovis colore aut prætextu etiam pietatis aliò diverti, maximumque indies experti hinc eorum Catholicorum salutis fideique Catholicæ provenire præjudicium, censuerunt supplicandum esse Sanctissimo ut Decretum aliàs ab hac S. Cong. sub die 14. April. 1654. emanatum dignetur auctoritate Apostolica confirmare, ejusque observationem districtè omnibus, quorum interest mandare ac præcipere. Tenor autem hujusmodi decreti talis est.

Ad relationem Eminentissimi Domini Cardinalis Trivultii S. Congregatio de Prop. Fide justis de causis mota fuit in voto, si Sanctissimo Domino nostro placuerit nullo modo impostero posse per Missionarios seu Religiosos cujusvis Ordinis, etiam Societatis Jesu, aut alterius notæ, quantumvis privilegiatam personam pia legata, eleemosynas, oblationes & cætera hujusmodi cujuscunque Sømmæ, valoris, quantitatis à locis in quibus fiunt seu elargiuntur, aut donantur vel offeruntur extrahi vel ad proprium solummodo commodum converti, sed in beneficium & manutentionem ac necessarium usum earundem Missionum, nec non pauperum Catholicorum auxilium & sublevamen omnino erogentur, ibique si  
fieri

feri poterit, sin minus in viciniõribus locis perpetuò remaneant pro Scholis manutenendis, Seminariis erigendis, Xenodochiis ac Hospitiis in dictorum Catholicorum eorumque filiorum educationem, usum & servitium fundandis juxta qualitatem & quantitatem ac summam eleemosynarum, legatorum & oblationum (certioratâ tamen semper *S. Congregatione*) eo modo & forma qua fieri poterit & præscribetur, expendantur, &, ut supra, erogentur sub pœna suppressionis totius Missionis ac ejectionis à dictis locis & Provinciis illius Ordinis, cujus Missionarius seu Missionarii aut Religiosi huic decreto punctualiter & in omnibus obedire nequiverint, aut alio quovis modo seu titulo etiam in minimis parere recusaverint, nec non sub pœna amissionis dictarum eleemosynarum & legatorum arbitrio *S. Cong.* applicandorum in casu, &c. Hæc in diverticulo.

Jam si comparatio fiat Virgines inter & Mendicantes: Virgines inquam, quæ peculium suum non nisi in proprium & Pauperum ac afflictæ Ecclesiæ solatium reservant ac dispensant: Mendicantes verò, qui patrimonio suo consanguineis relicto, eoque us ad majorem luxum locupletatis, multis lamentis (non enim nisi emeriti in hac arte ablegantur, licet quandoque etiam Tyrones immisceantur) ditiorum aures fatigant eorumque manus benefactrices exosculantur, pauperibus indigenis (quibus aliunde nullum solatium) eleemosynas quasi præripiunt. Si inquam hos inter & illas comparatio instituatur ut in Opusculo nostro ad typhum quorundam suppressum instituta est: & si non præoccupato animo, quibus

quibus concedenda sit præminencia, investigemus, certè Apostolus, ubi ejus judicio controversiæ hujus decisio delata fuerit, decretoriâ sententiâ respondebit: *Oportet meminisse verbi Domini Jesu* (quem *Mat. 20. Jurisperitum caelestem* intitulat *Augustinus*) *quoniam ipse dixit: beatius est magis dare quam accipere.* *35. In Psal. 142.*

Quisquis autem Obedientiam & Obedientiam meritoriam intra solos Monasteriorum parietes ac septa coarctarit, is sanè (quod nobis perperam affingitur) fidei veritati que obluçtabitur: nam cùm ex *Tridentino* præceptum divinum Parocho ovium (quas inter & Virgines *D. Cypriano* dictæ *illustrior portio Gregis Christi*) pasturam demandet, eodem certè mandato & illæ tenebuntur vocem ejusdem audire & paterna sollicitudine dirigi, nam correlatorum eadem est ratio: qua de causa Christianos omnes *Obedientiæ filios* vult Apostolorum Princeps: neque enim Guardianis aut Prioribus sed Parochis, cùm Apostolorum, id est, Episcoporum Collegium nova hac colonia augmentaret, dictum à Christo: *qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit:* ubi sive ad Obedientiam sive ad Obedientiæ meritum nulla Voti necessitas. *Sess. 23. c. 1. L. de Hab. & Disc. Virg. Ep. 1. c. 1. 14. L. 10. 16.*

Verùm cùm illam jure divino exigere non possint *Superiores*, nec sine ea Familiæ debito ordine gubernari (non enim nisi voluntaria est subjectio) ideo Religiosorum illud (scilicet Obedientiæ Votum) tanquam præcipuam suæ Politicæ basin Resp. requirit. Pareant itaque Moderatorum suorum nutibus quorum imperio sese sponte submiserunt, sed non invideant aut improbent, si Virgines Obedientiâ duce eorum directionem sequantur quorum

C

curæ,

euræ, ac sollicitudini commissæ sunt ac à divina providentia concreditæ: habeat illorum Obedientia meritum suum sed non illud sola sibi superciliosâ ambitione ascribat.

Et quamvis *Religionis* ornatu Virginalis Obedientia virtutem forsitan *Votum* convestiret, tot  
*Reip. L. 1.* tamen incommodis non a solo Illustrissimo *Rovenii*,  
*c. 43. n. 1.* sed & *Lessio* attestante à lyncea *Societate Jesu* ob-  
*c. 7. n. 55.* servata est per illud dedecorari, ut multo satius ei sit  
caruisse quàm hoc additamento infamari, quæ proinde  
de votivam Obedientiam è suis sacris tribunalibus  
proscripsit. „ De Voto Obedientia Confessario  
„ faciendo nihil apud S S. P P. inveniò, ait *Lessius*,  
„ nec ullo modo sentio probandum ob multa in-  
„ commoda quæ inde possunt provenire: unde  
„ meritò in *Societate Jesu* prohibetur ne tale *Votum*  
„ admittatur: huc referri potest gravissimum *De-*  
*Tu. 5. c. 7.* „ cretum Synodi Provinc. Mechlin: in quod nuper  
„ casu incidit: nemo aliquem ad perpetuò sibi soli  
„ confitendum obliget, & hujusmodi promissionem  
„ etiam juratam tanquam irrationabilem & indiscre-  
„ tam hæc Synodus irritam esse declarat, & quate-  
„ nus opus est irritat. Omitto alia quæ in hanc  
„ Sententiam dici possent. hæc *Lessius*. Quibus ego  
*Tit. Con-* adjungo mandatum Illustrissimi *Rovenii* in Con-  
*fessio.* stitut. „ ne Sacramentum illud quod tranquillandis  
„ Fidelium conscientis singulariter institutum est  
„ odiosum reddatur, nullo modo licebit Confessa-  
„ riis pœnitentes ad sibi duntaxat confitendum  
„ obligare aut ad singularem aliquam obedientiam  
„ sibi præstandam inducere, sed relinquunt eis  
„ omnino liberam facultatem quoscunque volent

„ probatos Confessarios adeundi si ad hoc propen-  
 „ deant, imò nonnunquam aliis etiam confiteri sua-  
 „ deant, ne fortè aliquo humano respectu vel vere-  
 „ cundia præpediti Confessionis integritatem vio-  
 „ lent. & infra: „ nullo pacto *vota Obedientie*  
 „ vel *Paupertatis* per mulierculas aut Virgines sibi  
 „ præstari permittant, nec curam pecuniolæ vel  
 „ substantiæ earum suscipiant. ne scilicet, promissa  
 „ illa *Obedientia* stimulante luxuriâ subministret carni  
 „ concupiscentiæ fomentum & nubulum sub quo se-  
 „ curè lateat, & votiva illa *Paupertas* ex Pastoribus  
 „ Avaritia consule faciat Depastores, ut idem ille alibi  
 „ annotavit.

Verùm quid hisce diutius immoramur? cùm ea-  
 dem illa (quæ tota hac declaratione diximus) &  
 „ plura ex ipsis Religiosis agnoscat & concedat *Leo-*  
 „ *nardus Lessius*, qui ad propositam quæst. an Virgi-  
 „ num nostrarum Status sit dicendus Status perfectio-  
 „ nis respondens ait: „ non esse completum Statum *c. 8. n. 58.*  
 „ perfectionis sed partialem, quia est insignis pars  
 „ Status perfectionis: alius enim Status plura, alius *Reip. L. 1.*  
 „ pauciora complectitur: Status integer & comple- *c. 43. n. 1.*  
 „ tus perfectionis etiam paupertatis & obedientiæ *& 2.*  
 „ Votum complectitur: *quæ duo Virgo in seculo* *N. benè.*  
 „ *manens suo modo etiam imitari & compensare coram*  
 „ *Domino potest.* Quod solùm hinc & indè in nostro  
 „ Opusculo à Virginibus sub Hæresi gementibus fieri  
 „ aut supponimus aut probamus: risimus eos, qui  
 „ contra hanc doctrinam magnis clamoribus insur-  
 „ rexerunt, quasi *Hannibal* esset ad portas.



Ibid.

Est itaque, *Virgines*, *vita vestra Status in Ecclesia*  
 & quidem ipsi *Evangelio coævus*, cum quo cepit  
 & propagatus est, nisi vox totius Antiquitatis re-  
 jicienda sit: ideoque, quas supra *Primogenias* dice-  
 bam *Virginitatis filias*, nunc voco *Religiosarum*  
*Matres*.

Non enim, ut *Canonissæ Seculares*, quibus re-  
 ferta est *Germania*, è *Sanctimonialibus Clericalibus*,  
 ut eas ad annum 820. vocat *Sigebertus*, aut è Bene-  
 dictinis & Augustinianis prodierunt, sic *Virginum*  
 primitiæ cancellos & monasticum rigorem pertæsa,  
*Claustra* (quæ nulla erant) dereliquerunt: sed plu-  
 rima *Virginum contubernia* quæ majoris perfectio-  
 nis ardore flagrabant *Institutum Virgineale in Mo-  
 nasticum commutarunt*, quæque à violentis præ-  
 donum blanditiis pudicitiaæ suæ metuebant eam intra  
*Monasteriorum parietes* tanquam firmissimo præsi-  
 dio collocarunt ac concluserunt. Adeoque non in  
 prima solummodo *Ecclesiæ adolescentia* sed & sub  
 senium ejusdem *Seculo 13. & 14.* non *Monasteria*  
 primas *Virgines* sed *Virgines Monasteria* piâ fecun-  
 ditate generarunt. Error *Historiæ* est si erroneum  
 sit hoc meum *judicium*, lubens illud mutabo, ubi  
 invictè constiterit primas pudicitiaæ *Victimas*, non  
*Virgines sacras*, sed in *Monasteriis* juxta *Apolto-  
 lorum fabricam exædificatis* fuisse nonnas profes-  
 sas, quorum rudera quemadmodum nulla modò  
 supersunt in terris ita neque illa inveniuntur in  
 libris.

## S. 5. pag. 34.

State itaque promissis, & quæ nomine Angelorum familiam augetis in terra, cælestium Angelorum officia emulemini: horum præsidis gloriemini quidem, gloriemini etiam (ut meritò potestis) Status vestri excellentiæ, quæ vos Angelis reddit æquales, &c.

Cui autem displicet hæc nostra Apostrophe, is non nobis succenseat sed Patribus, qui in hac materia sunt labii unius & sermonum eorundem quique illi suis Sententiis toto hoc §. allegatis materiam suppeditarunt: nesciebam me malè loqui, si patriâ linguâ loquerer.

## S. 6. pag. 41.

Virgo cogitat, &c. nunquam cessare, nunquam intepescere ei in obsequio divino licitum, sed continuò progrediendum.

Nil hîc à veritate & vulgari Asceticorum Magistrorum sententia dissonum, An fortè persuadenda Virgini exosa Deo sui profectus procrastinatio aut perniciofa ejusdem interruptio? bellum sanè is egerit directorem. Nolite amare descendere & non ascendere sed & de ascensione cogitate, quia, qui descendeat de Hierusalem in Hiericho, incidit in latrones, nisi descenderet non incideret in latrones, consulit & præmonet nobiscum sollicitus Augustinus: & vice altera: In Ps. 125 novi quidem esse debemus, quia vetustas nobis obrepere non debet, sed etiam crescendum & proficiendum est: de ipso quippe profectu ait Apostolus: & si exterior homo noster corrumpitur sed interior renouatur de die in diem:

non sic proficiamus, ut ex novis veteres efficiamur, sed ipsa novitas crescat: quotquot autem hinc deficiunt in Ps. 136 eos infructuosos Babylonice salices alibi inscribit.

Ibid. pag. 42.

Capite hæc duo Statui vestro annexa Privilegia, primum est eo die, quo hunc Deo vos consecrantes choastis, plenariam vobis omnium peccatorum vestrorum factam remissionem.

L. 2. de  
Fure &  
Just.

c. 41.

dub. 8.

De Mo-  
nach. L. 2.  
c. 6.

Intellige cum Lessio de reatu pœnæ, quæ remissa culpâ manet: quod judico verisimile, sive, ut etiam loquitur Cardinalis Bellarminus, piè credo: nec indonatum arbitror actum illum heroicum, quo generali totius vitæ Confessione præmissa charitate flagrantissima corpus animamque Deo mancipat, & quodam veluti conjugii foedere conjungitur.

Ibid.

Hoc Privilegio ex D. Thoma gloriantur Religiosi idque multis deprædicat in Antiq. Mon. Ep. 4. Mündelheimius: neque ipsis invidemus, sed & vobis asserimus & cum D. Hieronymo applicamus, qui id secundum Baptismum appellat.

Quod si ejus sensum non attigero, à veritate in errorem me abduxerunt Hieronymus Platus de Bono Status Religiosi L. 1. c. 13. Ludovicus de Ponte De Christiana Perfect. Tom. 3. Tract. 3. c. 12. Paulus Layman Lib. 5. Tract. 5. cap. 10. n. 1. Alphonsus Rodericius Exercitii Perfect. p. 3. Tract. 2. cap. 4. Lessius de Jure & Just. L. 2. c. 41. dub. 8. & alii de

de Rep. Religiosorum & inter Scholæ Proceres nomine & scriptis non ignobiles Magistri, qui eum ex locis à nobis pag. 43. citatis hujus sui Privilegii gravissimum assertorem agnoscunt. Arbitrabar enim, quod inde ad suum splendorem (improbante tamen *De Relig. Suarezio*) mutuabantur Religiosi, idem illud non denegandum Virginibus, cum non Monachis aut Monialibus sed Virgini de Virgine ac Viduæ de sacra Vidua id scripserit *D. Hieronymus*: quas hinc cum eodem non vana aliqua elatione superbas sed (quod propriè nostræ erat intentionis) ne degeneri conversatione ad vitia deflecterent aut in virtutum officiis inertis otio torpescerent voluimus tantummodo admonitas.

*Ibid. pag. 44.*

*Secundum est (nempe Privilegium) divina gratiæ abundantia vestro Statui annexa.*

Quia qui coepit in vobis opus bonum, attestatur Apostolus, ipse etiam perficiet usque in diem Christi *Philip. 1. 6* Jesu: revera non sentit de Domino in bonitate, qui eum suspicatur aut deesse in necessariis, aut, qui dives est in misericordia & in omnes, parca & avara manu Animæ vera dilectione sibi colligatæ gratiarum suarum thesauros dispensare: non hic Euclio est sed effusissima liberalitate prodigus. *Eph. 2. 4. Rom. 10. 12.*

Et dum carnale Matrimonium, quod est officium naturæ ac concupiscentiæ remedium, gratiæ suæ dotibus locupletatum videmus; Spirituali Connubio, quod est frænum voluptatum omniumque virtutum Seminarium, divina eaque copiosa subsidia præstò non erunt? illud bonitatis suæ largitate desi-

net fovere Virginum Sponsus & benevolentia sua patrimonio ditare?

Debitum hic supponimus non stricti juris sed divina dispensationis providentia congruum, in qua avaram parcimoniam non agnoscimus: neque enim is Mercatorum more paria paribus refert, sed divina largitate parva magnis compensat.

§. 7. pag. 58.

*Audite hoc, quæ aliquando effutitis Kloppas vos esse, quousque vultis, &c.*

*Nemo igitur licet as Virgini nuptias dixerit, &c.*

Quid enim aliud à pag. 50. usque ad 62. & alibi citata S. S. P. P. testimonia, quid aliud unanimis eorum consensus docet, è quibus hæc nostra Apostrophe est derivata?

Eam falsitatis nemo convincet, nisi qui ex *Impedimentis Matrimonii* (quæ cum Ecclesia Jus Canonicum & Theologia agnovit hætenus) *Votum* erasum probarit: quique contra Apostoli iudicium novo privilegio jam sine damnatione asseruerit primam fidem voluntate libidinosa posse irritari: quod an vel unus ex modernis Laxonibus in suis Theologiis Moralibus docuerit vel indulserit, nondum inaudii.

*1 Cor. 7. 9.* Idem ille Apostolus (quem *Ecclesie Prætozem*  
*Orat. 2.* *D. Gregorius Nyssenus* intitulat) nuptias alibi quidem  
*in 40.* iis indulget, quæ continentia dono sese destitutas  
*Martyres.* arbitrantur: at una S. S. P. P. sententia est, non eam  
*Epist. 16.* indulgentiam illis concessam, quæ (qua phrasi apud  
*D. Hieronymum* usa est *Marcella* ad conjugalia fœdera  
à Ce-

à *Cereali* expetita) æternæ pudicitæ sese dedicarunt :  
at iis solummodo, quæ ob Christianorum procorum  
penuriam in coactivo cœlibatu lasciviebant : *quod si*  
*non se continent, nubant,* non tamen Infidelibus,  
quod ab eo reprobaturum integro Tractatu demon-  
strat *Tertullianus*, sed absque scrupuloso delectu, *L. 2. ad*  
licet censibus & sanguine inæqualibus, Christianis *Uxorem.*  
quæ pares obtinere non possent : „ quæso te, in  
„ unâ ait ad omnes, Gentilium exempla proponas  
„ tibi : pleræque & genere nobiles & re beatæ pessimi-  
„ mos de ignobilibus & mediocribus sibi conjun-  
„ gunt, aut ad luxuriam inventos aut ad licentiam  
„ expectatos : nonnullæ se libertis & servis suis con-  
„ ferunt omnium hominum existimatione despe-  
„ ctandum, modò habeatur à quibus nullum impe-  
„ dimentum libertatis suæ timeant. Christianam  
„ Fidelem Fideli verum minori nubere piget locu-  
„ pletiores futuram in viro paupere. Nam si pau-  
„ perum sunt regna cœlorum quia divitum non  
„ sunt, plus dives in paupere inveniet majore dote.  
„ Sit illa ex æquo in terris quæ in cœlis forsitan non  
„ erit. Dubitandum & inquirendum & identidem  
„ deliberandum est, an ideo sit investis dotalibus  
„ cui Deus censum suum credidit ?

*Ibid. pag. 62.*

*Unum pænè omiseram, &c. Ipsa namque Status*  
*inchoatione Deo te consecras, nec necessaria ad obliga-*  
*tionem perseverantiae vota alia.*

Suppono enim non nisi affectu continentiae &  
sanctioris obsequii divini eam ad Institutum Virgi-  
nale

nale propendisse, pro sui admissione sæpius Directorem suum supplicibus votis sollicitasse, longiora probatam desiderii constantiam: interim subinde & seriò propositam non quodlibeticam sed perpetuam continentiam cui insolubili nodo erit alligata & à qua non sine summa perfidia & maximo scandalo poterit resilire, idque juxta præscriptum Illustrissimi Rovenii in Constit. pag. 10. attendam. *ne facile juvenulas ad Habitus depositionem vel spiritualis vitæ normam amplecti cupientes recipiant ad specialem directionem, nisi maturioris jam ætatis & priùs benè probatas: facile alioquin tales conversæ retrorsum incidunt in tentationes & in laqueos Diaboli, & Confessariorum quietem perturbant.*

Quod si innixa divinæ gratiæ adjutorio ac vegetationi difficultates omnes despiciat, perseverantiam cœlitùs speret, cum assensu Directoris sæculi fastu non ad annum aut annos, sed in perpetuum deposito humiliorem vestem assumat publicum Procorum repudium ac electæ Virginitatis indicium, simul cum Altaris Sacrificio & suam integritatem Deo immolet seseque veluti conjugii fœdere cum Christo in S. Communionem conjungat: quis eam licetè (de valore nusquam ago cum sciam ex Ecclesiæ Constitutionibus non nisi in approbata Religione votisque solemnibus irritatum matrimonium) sine sacrilega inconstantia & turpissimo divortio Sponsum alium aut posse quærere aut oblatum accipere asseruerit, licet verbale aliquod Votum non accesserit, non enim ad os sed ad cor attendunt aures divinæ, quæ est ipsissima locis cit. pag. 62. & 63. D. Basilii doctrina.

*Si Deus aures carnales haberet, & sono tui corporis indigeret, concionatur S. Augustinus, nunc verò, In Ps. 134 quia cor quærit, cor inspicit, intus testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator, sufficit ut offeras voluntatem, corde in Aram conscientiaæ victimas sacras imponis. Unde Angelico Magistro non ad rationem Voti concurrat sed solummodo quoddam superadditum est pronuntiatio vocis: Promissio, inquit, quæ 2.2. q. 88. ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba vel a. 1. in quæcunque exteriora signa; Deo autem potest fieri pro corp. missio per solam interiorem cogitationem, quia ut dicitur: homo videt ea quæ patent sed Deus intuetur cor. 1 Reg. 16. Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad sui ipsius excitationem vel ad alios contestandum, ut non solum desistat fractione Voti propter timorem Dei, sed etiam propter reverentiam hominum.*

**DICES,** non eam plurimorum Directorum intentionem, ut, quas recipiunt, perpetuæ continentiaæ inviolabili lege astrictas velint: neque eam Virginum multarum propensionem ut fœdere tam arcto pudicitiaæ sese submittant, quæ proinde de eorum licentia aut consilio perpetuam rarò sed non nisi annualem pudicitiam pollicentur: cum autem continentiaæ perpetuitas Instituto Virginali nec ex Ecclesia Canonibus adhæreat, nec ex ejusdem natura resultet, sed à solo Voto dependeat, non ultra hæ obligandæ sunt quàm quousque electione propria ipsæmet sese voluerint obligare, nec vinculum paucarum injiciendum omnibus.

Quia gemina parte constat hæc Antithesis bipartita etiam responsione dissipatur.

**PRIMA** est, eos Directores dum summa uti

VO-



volunt prudentia vel maximè in prudentia leges impingere: nam cum ex alio motivo perpetua continentia Votum dissuadere non possint, nisi quia de Virginum perseverantia diffidunt, nonne imprudentissimè agunt quod solemnè Sacro & apparatus eas ad Vestium commutationem admittant, quod & Virgineum Institutum & Virgines ipsas, si forte apostatrices fiant, opprobrio & perpetua infamiae objiciant? non enim nota populo illa Virginum dissectio in temporarias & perpetuas, ridetque omnem illum inauguralem apparatus, quem & in Constitut. pag. 10. improbat Illustrissimus Rovenius, si eis integrum maneat relicto Virginum Choro nuptias & Sponsum alium amplexari.

Probet itaque spiritus an ex Deo sint, quisquis prudenter aget, & Regularium Superiores imitando non nisi post diutinam probam eas, quarum flagrantissima in Deum charitas constantiam indefectibilem pollicetur, ad Virginitatis professionem admittat. Eas autem quæ aut nolunt aut si perseverantia sunt addubitant, à numero sacrarum Virginum excludat, aberceat, repellat aut in secreto silentio foveat usque, quò generosæ perseverantiæ maturescant.

SECUNDA est, cum in Patrum scriptis ignotæ sint Virgines illæ *Libertinae* seu *Temporales* & *Annuales*, idcirco eas nec modò Virginibus sacris annuameras, sed nupturientibus accensendas, tum quia in *Statu* non sunt, tum quia non ad libitum differre nuptias sed amore sanctioris obsequii divini

Matth. 19  
12.  
Serm. 1.  
de Temp.

nuptiis in perpetuum renuntiare, sive ut loquitur Dominus (quem *Virginum Principem* dixit Augustinus) sese castrasse propter regnum Cælorum, id est, per

per votivam continentiam adempta facultate nubendi sese ad nuptias impotentem reddidisse exigat sancta Virginitas: illas tamen licet forte corpore, nequam tamen mente, id est, veras Virgines censerit vult *Hesselinus*: sicut nec *Religiosæ* habebuntur, quæ L. 5. Canon ad omne sed ad certum tantummodo tempus professionem suam extenderint, cum utrobique perpetuitas, sive, ut apostolica phrasi utar, mansio & permansio sit necessaria. L. 5. Canon. c. 160.

Quæ fortè causa est, postquam *Clemens Papa V.* Beguinarum exorbitantem Sectam reprobasset, quare *Joannes XXII.* Virgines damnatis synonymas, (quibus repleta erat Alemania, quæque non nisi quamdiu in Beginagiis moram trahunt, continentia legibus tenentur) licet tolerandas censeret, nequam tamen approbaret: cæterum, inquit *Extrav. L. 3. Tit. 9. Statum Beguinarum hujusmodi, quas esse permittimus (nisi de his per Sedem apostolicam aliter ordinatum extiterit) nullatenus ex præmissis intendimus approbare.* Etiam Canonissas Seculares (quas scitè doctissimus *Claudius Espenzæus* *Semimoniales* vocat, L. 2. de quasque pro aliqua parte nuptiarum expectatrices & sollicitatrices inscribit *Molanus* L. 2. de Comm. c. 12. De Canonis L. 1. c. 15. supra.) cum, dummodo Proculus sese offerat, licet possint nuptias fortè ex eodem hoc capite, ut notat *Molanus* & jam ante *Espenzæus*, Ecclesiæ calculus Virginibus sacris non annumerat. Amat enim Ecclesia Virgo fororiam sibi Virginitatem sed perpetuam & insolubili nodo nexam: quâ & temporariam (terdecennem scilicet) *Vestalium* continentiam, quibus Ethnica Roma superbiit, explosere Patres.

Non ergo invitis vinculum injicimus aut L. 1. queum, Lipsius de Vestalibus. c. 7.

quem, sed quotquot in perpetuæ continentæ compedes, cujus vincula sunt alligatura salutaris, pedes suos immittere nolunt, eas omnes tanquam illegitimos scetus è Virginali Albo expungimus.

Si QUÆRAS an non, ut ad Ordinem Religiosum Tyrones, sic etiam *Temporariæ* hæ Virgines reductivè pertineant ad Statum Virginalem.

L. 3. de  
Virg.

PRIMO cùm probatio ex praxi totius Antiquitatis, quod & in Constitutionibus supra statuit Illustrissimus *Rovenius*, Virginalis Professionis (cujus ex Concilio I. Parisiensi c. 5. *publica declaratio* & ex D. Ambrosio *sigillum* seu *signaculum* est *vestis commutatio*) non pedissequa debeat esse sed prodroma, omnes illas, quæ ea lege Virginibus sese associant, ut dum libet etiam liceat sese ab iisdem iterum segregare, respondemus nullatenus esse de gremio Familix Virginalis, nec Virgines veras sed Virginum *Idola* pronuntiamus.

L. 2. de  
Fure &  
Iust. c. 40.  
dub. 2.  
Dub. 14.  
Tr. 3. de  
Sacram.  
disp. 15.  
diff. unica.

SECUNDO si affectum habeant nonquam resiliendi à cultura Virginitatis firmatum solo *simplici proposito*, quod non obtinet vim voti ut præter alios demonstrat *Leonardus Lessius*, non autem *firmo promisso* stabilitum, quod solùm est *essentiale* in Voto & quo solo fit traditio sui etiam in Voto *simplici Castitatis* ut *ibid.* idem Author declarat, *Har-tado* & alii: tales admitti posse concedimus & reductivè censei sub Familia à Statu Virginali, cùm Virginitatis cultus licet perpetuitatem ac invictum animum exigat, non tamen perseverantiæ Votum five *promissum insolubili nexu* habeat annexum.

Dum autem in Titulo & passim in Opusculo nostro usi sumus etymo *Propositi* perennis Conti-

nen-

mentiae, non illud opponimus Voto aut ab eo segregamus, sed aut Votum in eo abditum aut verbali Voto illud stabilitum supponimus, idque non solum in Antiquitatis sensu sed & juxta novissimam *Romane Catecheseos* phrasin, quã votiva pudicitia vocatur *pulcherrimum ac planè divinum Virginitatis propositum.* p. 3. n. 13.  
in sext.  
præcep.  
Decal.

*C. 2. S. 3. de Vestitu. pag. 89.*

Eo igitur Habitu incedendum Virgini quem illi (scilicet Directores) præscripserint vel probarint, seseque inobedientem sciat, si alium assumpserit, quales deprehendentur plurimæ, si à capite usque ad calcem vestitus earum subjiciatur censuræ.

Utpote qui non sapiat seculi contemptum sed fastus atque superbiæ affectum: etenim cum Habitu uniformem Virginibus, ut Clericis & Religiosis omnibus, non assignarit Ecclesia, certè earum Directoribus ea cura incumbit ne cum scandalo Secularium fuga pompæ ab eis in pompam circumducatur, & ut iis sese induant vestimentis, quæ (ut ex S.S. P.P. pag. 90. & seqq. videre est) non Procorum illecebræ sed renuntiati Matrimonii testimonia existant.

*S. 6. de Missa. pag. 141.*

Sequitur ut tractemus de Missa . . . . cum ad eam quotidie audiendam Regula Virgines constringat.

Cujus piæ consuetudinis sensum ac congruentiam eadem pagina 141. & quatuor subsequentes exposuere: Cum autem Episcopis demandet *Tridentinum* Sess. 22.  
Decret. de  
ut

*observ.* & ut populo inculcent & persuadeant frequentem ad  
*vi and.* Missam Parochialem accessum saltem pro diebus  
*sub Missa.* dominicis & festis, quis calumniæ obnoxium cense-  
 bit quod ad eam quotidie, si eas nullum impedi-  
 mentum abarceat, Virgines suas Director adducat?  
 illenè reluctabitur pio Ecclesiæ voto, aut ejusdem  
 leges prævaricabitur temerarius? Non defuere  
 Theologi qui contra Ecclesiæ praxin etiam ferialibus  
 diebus voluere licitam Sacerdotibus ea facultate in-  
 structis *Missæ binationem*, eo tantum titulo ne po-  
 pulus quotidiano Sacrificio Missæ privetur: & nobis  
 imputabitur ad peccatum, quòd ad illud Virgines  
 velimus congregari atque populo reliquo pietatis  
 facem præferre, ne lugeant viæ Sion eò quòd non  
 sint qui veniant ad solemnitatem?

*Vide*  
*Pastor.*  
*Mission.*  
*Verjuysii*  
*Tract. 8.*  
*art. 1.*

§. 7. de B. M. V. pag. 161.

*Est itaque Dei Genitrix Virgo perpetua, est & inter*  
*Virgines Primàs & Antesignana, &c. vestra gloria*  
*est quod matrem habeatis Virginem Deiparam.*

*Quid enim aliud citatæ S. S. P. P. Sententiæ con-*  
*testantur, è quibus hæc nostra apostrophe proma-*  
*navit? Exultate Virgines Christi instat Augustinus,*  
*consors vestra est mater Christi: quam & multarum*  
*Virginum Matrem Hieronymus deprædicat.*

*Serm. 12.*  
*de Temp.*  
*L. 1. cont.*  
*Fovin.*  
*c. 17.*

*Ibid. pag. 162.*

*Agnoscite parentelam vestram, honorate vestram*  
*& Sponsi vestri Matrem.*

*Quod illis nemo inviderit, nisi qui eam Abbatisse*  
*aut*

aut *Priorissæ* titulo quasi encomio grandiore illustriorem fieri arbitratur: quisquis autem hanc Virginum genealogiam reprobat, is *Lessium* eas falsis honoribus cumulasse convincat: audiamus ipsius verba & documenta ex sæpius cit. *Tractatu primum* <sup>c. 2. n. 9.</sup> *hic occurrit beatissima Virgo quæ hujus Instituti Dux est & Author: nam in seculo existens & sui juris ac arbitrii permanens & bona sua retinens perpetuam Virginitatem Deo vovit.*

§. 10. *de Opere manuario. pag. 176.*

*Alia certè Sanctimonialia Bononienses, &c.*

Non nobis hîc sermo est de his, quos *Sedis Apostolicæ* sollicitudo infomnis aut provida *Illustrissimi V. carii* cura nostratium ministeriis destinavit, eos amamus ut Fratres atque honore duplici dignissimos cum Apostolo prædicamus: sed illos censura nostra perstringit, quos circumvicini Monialium aut Monachorum Superiores Obedientialibus armatos in Catholicorum nostrorum spolia emittunt, qui non tam sunt humiles petitores quàm importunissimi exactores, seseque probant non Religiosos Pauperes sed miseros & impudentes mendicos.

Primæ Solymæorum Ecclesiæ sub persecutionibus laboranti liberalissima charitate succurrebant Ecclesiæ aliæ: hi in opulentissimis Ecclesiis constituti, quò sua exornent delubra (taceo alia) exstruant Monasteria sæpius non humilia Pauperum tuguria sed superba Principum palatia, Altaria convestiant, &c. avidissima cupiditate depilant Ecclesiam oppressam & quotidianis Hæreticorum deprædationibus

D

bus

bus obnoxiam ut vix habeat quo Spiritus Sancti  
Templa collabascencia suffulciat, vel per hærefin  
everfa restauret, aut viva Altaria cooperiat: Summo  
Ecclesiarum omnium Moderatori & Piis omnibus  
displicuit hæc iniquitas.

Pastor.

Mission.

Tract. 1.

art. 5.

Vult Excell. P. Magist. *Verjusius* ut etiam ipsi  
*Missionarii* licitis cæteroquin usibus suis stipendia  
propria subtrahant, quò in Pauperum nostratium  
suppetias sive aberrantium illecebras eorum liberali-  
tas profusior exundet, & (quod alius quispiam ob-  
servavit) *qui primi in Altaribus à Christo pascuntur,*  
*primi eidem Christo in Pauperum effigie pascendo curam*  
*impendant:* & quò rebus omnibus sæpe etiam non  
necessariis superfluant, extraneos illos impunè lice-  
bit hîc esse mendicantes? nemo hîc nos mendaci  
convitio *Guilielmi de Sancto Amore* damnatis errori-  
bus calumniatur infectos: non enim actuale pau-  
pertatem ac mendicitatem in Religiosis improba-  
mus, aut eos tanquam vilia capita ad manuarios  
labores pro acquirendo victu volumus esse damna-  
tos, quibus opinionibus teste *Prateolo* infamis habe-  
tur præcitatus *Guilielmus*: etenim novimus, cum  
ad Fidelium ministeria & Parochorum auxilium no-  
vos *Ordines* ac *Monasteria* permetteret multiplicari,  
& interim non æquè, ac olim in *D. Benedicti* atque  
*Augustini* sobolem fuerat, profusa esset Fundatorum  
liberalitas, Ecclesiam indulgisse ac probasse ut qui  
spiritualia seminant vicissim temporalia metant, &  
qui Altari deserviunt etiam cum suis Ministris de  
Altario vivant, sive peccata populi comedant: non  
urgemus ut auxiliares hæ Copiæ propriis stipendiis  
militent neque alligamus os bovi trituranti. Sed  
quum

L. 7. de

Hæresib.

S. 18.

quum de Pauperum trophæis luctemur cum Hæresi spoliis nostris opulentissima & insidiosa liberalitate profusissima, non subtrahi sed submitti potius nobis debere duce charitate subsidia, aut saltem integra relinqui iustissime prætendimus: nisi fortè favores ab *Alexandro IV.* Mendicantibus olim concessi, in beneficium *Missionis* & Pauperum nostrorum nequiverint aut non debuerint ab *Alexandro VII.* contrahi & apostolicâ autoritate limitari.

Quòd si hîc usus fuerim duriori verbulo, non id rancori sed impatientiæ ac justæ indignationi ascribendum, cum plerumque cum Habitu, non sine infamia Ordinis Monastici, simul & animum religiosum videantur deposuisse, & quos antea habuimus mendicos, postmodum & ab Ordine & à Fide Catholica lugeamus apostatas: quandoque enim isti Vagantes fiunt Extravagantes. Vide *Alvarezium de Tom. 2: Paz,* & alias ibi phrasas invenies. Habebunt Superiores illi, quod coram divino tribunali excusent, qui suos sine sociis sine testibus tam manifestis periculis animo minimè paterno exponunt.

C. 3. §. 1. de Directore. pag. 256.

Tu itaque Virgo, quæ non maritum sed cælestis Agni sequelam cogitas, &c. non Religiosum Parocho sed Parochum tuum Religioso præferas, &c.

Quod haud obscure *Tridentinum Concilium* diversis in locis inculcat: præcipit enim Episcopo ut *mo- neat populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei.* imò mandat Episcopis, ubi certi Paroeciarum limites designati





non sunt, ut distincto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eos cognoscere valeat & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant. Præcepto divino mandatum omnibus, quibus animarum cura commissa est, docet alibi, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbi divini prædicatione & Sacramentorum administratione pascere, &c.

Sess. 23.  
c. 1.

An ergo censendus Religiosis injurius, quisquis Parochorum jura & dignitatem tuetur? An à veritate deviat qui Universalis Ecclesiæ sensui consilium suum conformat? Ut quid ad subsidiarias Religiosorum operas, & qua phrasi usus est Illustrissimus p. 1. § 47. Rovenius, ad Privilegiatorum auxilia (quos in Obediēte Parochiano nonnemo ex P. P. Capucinis extraneos Directores appellat) ablegatur Virgo, si illius curam non subterfugiat Ordinarius? maxime cum hic, quò Tridentinum collimat, sit perpetuus, illi autem ad libitum suorum Superiorum stationem sæpius commutent, ut poenè suos ante deserant, quàm animos & indolem noscant.

De Regim.  
Monial.  
c. 2. §. 1.

Nolo ego de Virginum imperio dimicare, non enim periculosior est ad aliam aliquam prælaturam quàm sceminarum ambitus: quid enim id esse censeam, inquit Mantelius, nisi Solis currum velle conscendere, cujus moderandi dum Phaëton præpostero ardet desiderio, incendio seipsum aliosque involvit: unde quàm alius, eas impensè ambivit tam eas ego vehementer effugere studui & effugi hæcenus.

*§. 3. de Regula. c. 267.*

*Regulam, quæ actiones suas dirigat, habeat necesse est.*

Vult enim Apostolus, ut omnia secundum ordinem 1 Cor. 14. fiant, non solum in publicis Ecclesiæ ministeriis sed 40. etiam in privatis pietatis exercitiis: vide à nobis annotata toto hoc §. 3.

*Interpretamenta seu Statuta Directoris* alia esse non credo aut suppono, quàm quorum commentarios toto nostro Opusculo scripsimus, quæ, ut legenti patebit, non nisi veluti furculi quidam sunt ex SS. PP. Libris tanquam ex integra arbore præcisi, eorumque præscripta olim data Virginibus & communia pietatis Exercitia, quæ in sua *Philothea Salesius*, & alii Ascetices Magistri tanquam Spiritus fomenta & pabula charitatis veræ devotioni suppeditarunt.

*Ibid. pag. 270.*

*Si ex contemptu vel acedia Regulam tuam transgrediaris aut negligas, pessimè feceris.*

Nisi fortè inaudito adhuc transgressu è Capitulum peccatorum Syllabo in Classem Theologicarum aut Cardinalium Virtutum *Acedia* transmeaverit.

*C. 4. S. I. de Suffragiis Menstruis.*

*pag. 308.*

*Quos inter (illices nimirum ad pietatem) pie Solidaritates.*

Eas alio titulo non puto in Ecclesia notas, sin autem aliam habeant efficaciam ea me latet, fateor ignorantiam sed innoxiam.

Ibid. pag. 309.

Virgini ego dissuadeo omnibus promiscuè deferre nomen suum, parum enim id proderit, neque statim de meritis omnium, ut quidam venditant, si modo in scripta participaverit. Fatuis negatum à prudentibus de oleo suo, ad cautelam, interprete D. Hilario, alienis scilicet operibus neminem adiuvandum, quia unicuique lampadi suæ emere oleum sit necesse.

Can. 27.  
in Matth.

Non pretio alio quam probato charitatis auro & bonorum operum studio indefesso, quod me edocet Paulina præmonitio: omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propriam corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.

2 Cor. 5.  
10.

Orare pro se mutuo possunt Consodales, ut loquitur D. Ambrosius apud Deum & intercedendi meritum & jus habeant impetrandi: an autem otiosis & reprobis etiam sua merita transcribere valeant, de eo non exstat supremi Judicis approbatorium diploma, sine quo irrita omnis donatio ac transactio. Quin i modo in Tabulis ejus non lego, nisi unicuique non secundum aliorum sed propria sua opera mercedem reddendam.

Quisquis autem contrarium demonstrarit magnam fanè is gratiam apud multos inierit: poterunt illi contra Apostoli minas non formidare corruptionem sed in messe sibi polliceri vitam æternam, licet non in spiritu sed in carne sementem faciant: poterunt

Gal. 6. 8.

runt illi sperare denarium diurnum licet hæreant in Ecclesiæ Foro otiosi, nec in excolenda animæ Vineæ defudarint: quod autem hoc sit impugnare Articulum Fidei de Sanctorum Communione, non id me docet *Catechista Romanus*, nec suos Hispanos docuit *p. 1. a. 9. Eximius P. Magist. Ludovicus Granatensis: sic his n. 27. precibus atque suffragiis niti debemus, fratres, is inquit Dom. 17. post Pentec. Conc. 2. ne nos somno, inertia atque desidia conficiamus: sed in hoc incumbamus, ut aliorum precibus preces nostras, aliorum studis studia quoque nostra jungamus, &c.*

*Ibid.*

*Scapularia, Cingula, &c. (quæ mutatis invidiæ verbulis placuit emollire) Cælum non dabunt at sola Patris cælestis adimpleta voluntas.*

Exteriora illa Symbola passim in Ecclesia celebrata non rejicio, sed temerariam in illis fiduciam improbo ad nauseam usque à quibusdam deprædicari solitam, utpote quæ fovendis hominum fallaci securitate flagitiis longè accommodatior videtur quàm eisdem per veram animi conversionem eluendis. Præstat, quod primis *Prædicatoribus* mandatum, hinc inter *Marc. 16. medias Hæreses* quæ fastu sibi agnato & præsumptione fucata sapientiæ non nisi *Scripturam* clamant, salutiferam Evangelii doctrinam ac divinam *Et Matt. 28. Sacramentorum* virtutem juxta Romanæ Catecheos institutionem promulgare, quàm incertis narrationibus aliisque assutamentis, quæ Ecclesiæ disciplinam enervant, Hæreticis ludibriorum atque insultationum materiam largiuntur, arctam salutis

viam non ostentant aut charitatis flammam non exsuscitant, Conciones suffarcire.

Nolo autem aliquorum culpam omnium invidia atque insectatione notare: etenim scio plurimos esse qui spiritu verè Apostolico (quem veneror & laudo) non quæ sua sunt quærunt sed quæ Jesu Christi, nec vano Ordinum ac Ducum suorum Encomio, sed propagandæ Catholicæ Religioni indefesso zelo infudant: qui tanquam industrii Architecti Lapida vivos expoliunt & summo angulari Lapidi sacra exhortationis ac fidei cœmento super ædificare allaborant: qui eos, quos aut male-suadus Hæresis error ex Ecclesiæ pascuis abduxit, aut fascinata nugacitatis obscuratrix boni in via virtutis remoratur, in funiculis Adam in vinculis charitatis reducere atque attrahere pia sollicitudine annituntur, qui quò ex inexhaustis Christi thesauris animas sibi concreditas exornent & aurea divinæ charitatis succingant sancto superbiæ affectu abripiuntur: quæ cum cœlesti illa Tuba *Armaturam Dei* quæ ipsum *Dominum Jesum Christum* induendum prædicant: verbo denique qui accepto spiritu Christi non tam de suis quàm de Magistri sui pulmonibus loquuntur, qui quæ ex *Libro Sacerdotali* cum *Augustino* palam faciunt non esse tot in orbe Hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia Legis pro Ecclesia. Hos solos Christi Ministros & fideles mysteriorum Dei Oeconomos existimo, exosculor & amplector.

Nam ut in Cantica D. Bernardus: *si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum: si dispures aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus: sic & ego*

ego improbo & impugno eas Declamationes, quæ non adipe divini Verbi & Sententiis depromptis ex Ecclesiæ Penuario, id est, Patribus & Conciliis gravidæ sunt & succulentæ. Quisquis autem hoc nostrum iudicium anathematizat, is sibi primò conciliet seu potius aliter edoceat Apostolum, qui, dum *Timotheum* suum & *Titum* ad Verbi ministerium & suggestum informat, nobis ea, quæ sentimus, sua autoritate persuasit: nec dissonus est in suo *Missio-* *Tract. 1.*  
*nariorum Pastoralis* Excell. P. Magist. *Verjussius*, in *art. 9.*  
*Catholici Ecclesiæ Instructione* *Fansonius* & *Illu-* §. 17.  
*strissimus Rovenius* tam in *Rep. Christ.* quàm *Tracta-* §. 18.  
*tu de Missionibus.* L. 1. c. 30.  
 n. 2.

Alia fortè alibi etiam cum fructu pro concione *parte 5.*  
 dici poterunt ubi libero imperio dominatur Fides  
 Catholica, at hic, ubi in Catholicorum subversio-  
 nem unitis animis & armis diversæ Hæreses conju-  
 rant, validioribus præfidiis firmari debet Fidei  
 doctrina, nec ullatenus concedendum sed modis  
 omnibus subtrahendum Lupis rapacibus indumen-  
 tum Agni divini.

C. 5. §. 1. de Anniversario. pag. 316.

*Desleat* *Septem Virginitatem suam, &c.* & ut *Festa*  
*annua ad singula prope beneficia ex divino præcepto*  
*habuerunt Israëlita, ita sit & tibi Consecrationis tuæ*  
*dies sollemnis.*

Quod nemo improbarit, nisi qui ingratum ani-  
 mum aut vilipendium divinis beneficiis censuerit  
 respondere.

*Ibid.*

*Ibid.*

Eadem formulâ, quâ ea olim conceperas (sub Sacramento scilicet & in sacra Communione) renoves priora proposita, approbes & confirmes.

Non malum consilium est, ne bonorum unquam sed semper & perfectè pœniteat malorum.

*Ibid. pag. 317.*

Jephthæ hic (in difficultatibus scilicet) tibi imitandæ constantia, &c.

Nisi fortè quis judicet gratiorem Deo, non latè  
 Rom. 25. dabilem perseverantiam, quæ D. Gregorio est virtus  
 in Euang. boni operis, sed perfidam & scandalosam Virginitatis  
 S. Cypr. apostasiam: nonne videmus totum Ecclesiæ cœtum  
 Serm. de demittere vultus atque erubescere, quotiens aliqua  
 dup. Virgo, quæ Christo nupsit, dilapsa ex angelico con-  
 Mart. tubernio defecit ad stuprum aut conjugium?

**H**Abes benevole Lector explicatum sensum meum, operâ præli non habiturus, nisi Opusculo nostro pro sensu meo non meos sed proprios suos sensus ac conceptus quorundam ingenia affingerent, ac de imaginario & factitio Adversario victrici calamo certum sibi triumphum pollicerentur. Minimè displicet, quin imò multimodis desidero, ut Operis nostri Subjectum contradictoriis scriptis examinetur, at improbo vehementer si calumniæ & mendaciorum fimenta in veritatis oppressionem conscribantur. Amo doceri (utpote humilis Veritatis Discipulus) attamen eos Pædagogos averfor qui non documentorum pondere urgent sed maledictorum levitate criminantur, ut *Cresconio Grammatico* L. I. rescribit *Augustinus*, quique affectus proprios pro veritate venditant, & ut ex *Apostolo* loquar, qui *veritatem Dei in injustitia detinent.* Rom. 1. 18. Huic non resisto neque resistam, sed lubens & cum gaudio acquiescam, quæ erit totius nostræ controversiæ.

F I N I S.  
Coll. 100. 7. Paderbornæ







72


Spizig: Cantabrigia


Hoc benevole Lector existimam scribitur  
meum, opera gratia non habetur, nisi  
Opaculo nullo pro scribitis non meos  
sed vobis suis latus ac conceptis promissam  
de vobis vobis, ac de imaginibus & scribitis  
vobis vobis latus certam latus promissam  
vobis vobis scribitis, vobis vobis scribitis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis  
vobis vobis vobis vobis vobis vobis











Scala  
Jacob

Th  
2867